

Haec commendatio me hercle commovit maxime.
 PU. Tua bonitate dignum me non esse sentio.
 ME. Istuc iam mecum cogito, qui possim facere,
 Meum ut te filium faciam. — PU. O mi pater!
 ME. Sic me posthac, mi fili, nomina, quom denique
 Istoc bello perfecto in otio temet virum
 Romanumque esse repperis. Heu quantum cupio
 Hoc punctum temporis! Ad id tempus dii te protegant.
 Ne sis diu mihi in mora; ne loquaris, novi tuas
 Cogitationes; multum pol de te spero. Vale.
 PU. Valeto. — ME. Ah videre illum pati dolores neque me
 Iuvare posse! Illi mei sint, Regule, filii.

Explicit Actus IV.


ACTUS V

SCENA I

SEXTUS, CRISPUS.

SE. Etiam nunc hic locus inanis nemoque adest.
 CR. Iam sacrificat consul in arce, cives festinant eo.
 SE. Dic sis, amice, qui possis sedere pressis brachiis?
 Quid attinet multum sudasse me, quom tu me liqueris
 Sub cultro? Hercle unus homo facere parum potest.
 Publum nec vidi nec de eo ullum audivi nuntium,
 Te vero hic invenio tempus percarum terere desidem.
 CR. Ne rem praeferstina. Hic saltem respirare possumus.
 Populus edoctus est. — SE. Consul corrupit omnia.
 CR. Metellus? — SE. Is ipsus; per scribas, qui circa eum sunt, optume
 Eius consilium excocumst. Sermones Reguli,
 Quos hodie perite ipso die in senatu habuerat,
 Describi et ubique divulgari iussit sedulo.
 CR. Istuc est hercle casus pessimus. — SE. Quom ego dicarem,
 Quanta crudelitate saevos mortem Regulo turpissumam
 Excogitaret hostis, usque circa me plebs crescit;
 Animus civilis adsidue incitabat sermonem meum.
 Adeo iam plebs commota fuit, ut clamitaret, plangeret
 Et vociferaretur delendumque hostem dicere:
 Et liberandum Regulum. In manu nostra fuit
 Iam certa victoria, quom orationes istae Reguli
 Descriptae prohibuerunt nostra haec consilia.
 Heu, Crispe, unus homo decem legit illas civibus.
 Miseratioque in admirationem vortitur.

(Ad proximum numerum)



Pauca exemplaria reperta sunt

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,
cui titulus:

EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

*(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici
cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).*

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituiimus libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXV

Romae, mense Maio MCMXXXVIII

Fasc. V

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

IOANNES LEONARDI¹

Beatissime Pater!

Beatus Ioannes Leonardi, pro quo dicti sumus, ortum habuit in oppido « Dicimo » prope Lucam in Etruria a parentibus non tam fortunae bonis, quam morum honestate et christiana virtutis exemplo conspicuis, qui nihil antiquius habuerunt quam formare liberos ad pietatem; Ioannem praesertim, ex cuius sanctitate non solum Ecclesiae, verum etiam humili domini tantum decus erat obventurum.

Iam inde a prima pueritia felices illae in eo enituerunt propensiones, quae solent saepenumero quasi praeludia quaedam esse futurae sanctitatis: didicitas preces recitare continuo, socios ad id sibi adsciscere aequales suos, eisque ducem atque auctorem fieri ad aedes sacras frequentandas.

Ipse divini spiritus illustratione atque instinctu, fastidire saeculi illecebras, molle stratum fugere, humi iacens somnos ca-

¹ Oratio habita in S. Consistorio d. XVII mens. Martii MCMXXXVIII. — Quod clarissimus S. Consistorii Advocatorum Decanus, pro sua humanitate, orationem ipsam per ALMAM ROMAM vulgandam ultra nobis tradiderit, amplissimas gratias et habemus et referimus. — A. R.

pere, precibus vacare assidue, prorsus supra aetatem poenitentem vitam agere.

Vix duodecim annos natus ad « Villam Basilicam » a patre missus prima doctrinae ut addisceret elementa, in litteris quidem non sua desidia, sed praceptorum oscitantia nil fere profecit, sed coeptum christiana perfectionis opus mire auxit in eoque constantissime perstitit postquam missus est Lucam, ut pharmacopolea cuidam operam daret.

Mortuo patre, admonitus a Confessario Dei esse voluntatem ut sacerdotium amplecteretur, alaci ac prompto animo Servi Dei dicto parens non est deditus iam grandis natu publicas grammaticae scholas adire, atque inde humanitatis studia frequentare. Quibus absolutis studiis, philosophiae et sacrae theologiae, duce ac magistro Paulino Bernardini Ordinis praedicatorum, impensisime operam dedit. Post sacram tonsuram et minores ordines susceptos, anno MDLXX ad Subdiaconatum, et in sequenti anno ad Diaconatum ascendit, conferente ordines Alexandro Guidicionio seniore, qui sacrosanctae Tridentinae Synodo magna cum laude interfuerat, et Ecclesiam Lucensem quinquaginta iam annos regebat.

Tandem XI Kal. Ian. anno MDLXXII, aetatis sueae XXX, consecrationem sacer-

dotalem ab archiepiscopi Pisani auxiliario, datis a Curia Lucensi dimissoriis litteris, accepit.

Sacerdotio auctus, post aliquot annos in pueris et adolescentibus sancte instituendis transactos, quum interim plures in dies etiam ex nobili genere natis ad eum cum proposito in commune vivendi convenienter, incredibile memoratu est quam facile coa-luerint. Sed brevi post humani generis hoste exstimulante Lucensium corda, et haeretica pravitate materiam praebente quasi perturbaretur Respublica Leonardi coepitis, tam acriter in Ioannem eiusque socios exarserunt odia, ut ad tollendam funditus nascentem Congregationem, parentes debita filii qui Ioannem sequuti fuerant, alimenta denegarent.

In hac tanta rerum quasi desperatione ad mendicandum coacti, non erubuit vir sanctus, impositis collo lateralibus vicos et plateas circumire, stipem sibi et suis osti- atim quaeritare, saepe derisus, saepius cum conviciis et contumeliis rejectus.

Quod tamen tantum abfuit ut Leonardiani Instituti detrimento cederet, quin immo in causa fuerit, ut Congregationis initia firmius constabilirentur, et extra ipsam Lucensem Rempublicam Congregatio propagaretur.

Paulo post Joannes venerandae Virginis Matris Dei causa Lauretum peregre proficiscitur; inde Romam, ubi sancto amicitiae foedere Philippo Nerio iungitur.

Quum esset Romae, adversis et asperis quae multa et diu in Patria passus fuerat, Deo sic disponente, laeta successerunt, et Lucenses civem suum tam egregie meritum, et tantae apud omnes existimationis perhonorifice receperunt, donec ab hac Apostolica Sede magnis muniberibus obeundis atque explendis officiis adhiberi coepetus est.

Monasteria celebris Congregationis Benedictinae, quae a Monte Virgine audit, in antiquo neapolitano Regno a veteri di-

sciplina misere deciderant. Ea Dei Servus Apostolicae Sedis auctoritate, tanta suscepit alacritate instauranda tantaque ad eam rem se gessit cura et prudentia, ut Virginianam Congregationem cum omnium admiratione et Apostolicae Sedis plausu pristinae dignitati ac splendori restituerit.

Sed et Senis a clarae memoriae Cardinali Archiepiscopo Tarugi vocatus, multa praeclera reliquit, et Aversanae Dioecesis administrationi in locum Episcopi Morrae ob gravissima expedienda negotia Romae detenti, per aliquod tempus integre et vi-gilantissime praefuit.

Vallis Umbrosae et Montis Senarii Coenobitis, rogatus a Ferdinando Mediceo Magno Etruriae Duce, non mediocri fuit adiumento. Romanis Pontificibus apprime carus atque acceptus, cum ob cetera eius praeclera merita, tum vel maxime quod in perinsigni illa Fidei propagandae Institutione excitanda tantum operae curaeque posuerit, ut testatur non solum Inscriptio in Collegii Urbaniani aedibus collocata, verum etiam quod de ipso scriptum inventimus Sacro Consilio ritibus tuendis probante, nimurum fuisse Leonarium nostrum mirabiliter a Deo excitatum ad fidem in gentibus propagandam.

Memoratu sunt digna verba, quibus Clemens VIII fel. rec. Leonardiani Instituti Regulas a se probatas Servo Dei reddidit: «Habemus in Digestis — inquit — Leonardi parum esse iura condere, nisi ea executioni mandentur». Quibus verbis sapientissimus Pontifex significare voluit, Constitutiones quidem esse optimas atque adprobatione dignissimas, sed haud ita facile eas servatum iri, nisi in adlegendis sodalibus sedulo caveretur.

Nec romanae Leonardi noster defuit civitati, sed maius etiam quam alibi Servi Dei virtutes habuerunt in Urbe spatium exemplorum. Enimvero Caesii Cardinalis hortatu apud aedem Sanctae Mariae in Por-

ticu Congregationis sua domum instituit, quae pietatis operibus et civium concursu ac frequentia prae ceteris floruit.

Ioannes noster mente semper retinens Apostoli monitum: «Argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina ministerium tuum imple», ubique praesens caritate et misericordia vere ministerium suum implebat, maximeque in iis locis, in quibus homines infimae conditionis, omnium egentes et ab omnibus ferme destituti versabantur.

Inter tot tantosque apostolicos labores Ioannes Leonardi, quod miremur, tametsi, ut diximus, iam admodum grandis natu litteris addiscendis operam dedit, et calami labor secessum scribentis et otia requirit, nihilominus tempus invenit scribendi permulta non solum doctrinae pondere, sed et styli venustate probata, ex quibus operaे pretium est recolere: *Christianæ catechesis pro paroeciis archidioecesis Lucensis: Tractatus de recta libero-rum educatione, Tractatus de vano mulierum ornatu, Memorale pro nuptis ad vi-tam honeste degendam cum coniugibus.* Sed et theologica attigit, ut appareat ex opel-lis: *De Trinitate, De Angelis, De Purga-torio, De poenis Inferni, De divina pulchritudine.* Nec silentio praeterire possumus quod, hortatu Pauli V, *De universali to-tius Ecclesiae reformatione* scripsit ipsius Pontifici dedicavit.

Ioannes Leonardi obiit piissime Ro-mae octavo Idus Octobres anno MDCIX aetatis suea sexagesimo octavo.

Finis vitae eius amicis tristis, sodalibus luctuosus, primoribus quoque civitatis per-aeque ac humili loco natis, quos unice dilexerat, non sine magno moerore fuit, auditaque saepius inter complorantium questus Pauli V vox: «Magnum Dei servum excessisse e vivis, magnum Christi athletam!».

Vere magnus Christi athleta! Nam Ioannes Leonardi merito accensetur

fortissimis illis ac sanctitate insignibus viris Caietano Thieneo, Antonio Zaccaria, Ignatio de Loiola, Carolo Borromeo, Roberto Bellarmino, Petro Canisio, Iosepho Calasanctio, Hieronymo Aemiliani, Philippo Nerio aliisque qui, velut agmine facto, impiis hereticorum conatibus Christianam Rempublicam atque adeo Italiam ipsam infestantibus fortissime ubique re-stiterunt, monstrosa illa atque abominanda dogmata, quibus universa fere Christi do-trina evertebatur, toties iam ab anteactis Conciliis et disertissimis verbis a Tridentino damnata invictissime plenissimeque refutantes christianum populum ab hostium insidiis defendenter, edocentes verbo et exemplo sanctam esse Ecclesiam quum ha-beat Caput Christum sanctum, multa mem-bra sancta, Fidem et sacramenta sancta; nec alienae occasione miseriae et deprava-tionis, cui non irrideri nec insultari, sed mederi et succurri fraterna caritate debuerit, induci oportere perversa dogmata et doctrinas corruptelasque multo deplo-ratis maiores multoque perniciosiores; aut denegari Ecclesiae auctoritati et Catholicae Ecclesiae Episcopo Christique Vicario oboedientiam atque obsequium.

Beatorum caelitum honores decreti sunt Leonadio nostro a Pio IX fel. rec. sexto Idus Iulias an. MDCCCLXI. Resumpta tertio nonas februarias an. MCMXXXIV Canonizationis causa, duo mirae sanatio-nes propositae sunt, quarum una respicit Ianuarium Nappi, parochum sancti Tryphonis in oppido Marzano Dioecesis Nolanae, altera Victorium Lamberti in Urbe Nea-polii.

A criter utrinque proposita miracula fue-runt disceptata et discussa, praesertim ab illustri Collega nostro Fidei Promotore, qui praeter officii religionem, cuius est obser-vantissimus, aliam mihi videtur habuisse causam, quamobrem sanctitatis adsertori-bus paulo severius obsisteret, ne videlicet in negotio tam gravi, si lenius ageret, quasi

indulgere aliquid civis sui causae patria caritate videretur.

Re quidem vera tanta probationum luce utramque sanationem nec humanis opibus referri, nec naturae viribus adscribi posse appetet, ut merito Sanctitas Tua die XX mens. februarii proxime elapsi edixerit: « Constare de duobus miraculis a Deo per Beati Leonardi intercessionem patratis, nempe de instantanea perfectaque sanatione tum Sacerdotis Ianuarii Nappi ab ulcere varicoso cruris sinistri, cum pueri Victorii Lamberti ab osteomyelite phlegmonosa septica femoris sinistri »; et tertio Idus Martias proxime praeteritas decreverit, « Tuto procedi posse ad Beati Ioannis Leonardi canonizationem ».

Beatissime Pater!

Inter multas, quibus abundat Pontificatus Tuus, omnium ore celebratas laudes, sollicitudo illa Tua eminet atque eluet cura amplificandi Regnum Christi, cui pater vere « nec metas rerum nec tempora ponens Imperium sine fine dedit », quippe Quem sic alloquitur teste Propheta: « Postula a me et dabo Tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos Terrae ».

Decebat igitur omnino atque ita dispositum providentis Dei benignitate laetamur ab Eo Pontifice, qui et apud nos merito praedicatur et sacrarum expeditionum Pontifex posteritati narrabitur, supremos decerni altarium honores Ei, qui primus Sacri Consilii Christiano nomini propagando fundamenta iecit.

Reliquum est, Pater Sanctissime, ut pedibus provolutus Tuis non solum benemerentissimae Congregationis Clericorum regularium a Matre Dei, sed nomine etiam eorum qui de tenebris et umbra mortis, ubi misere iacent, ad Evangelii lucem Dei gratia et beneficio Tuo venturi sunt, enixe Te orem atque obtester ut Beatum Ioannem

Leonardum sollemini huius Apostolicae Sedis ritu Sanctorum Fastis quamprimum digneris adscribere.

AUGUSTUS MILANI
Adv. S. Consist. Decanus.

“ΘΑΝΑΤΟΣ”,
Divi Philippi Nerii die natali

*Qua spe pudicus Nerius impulit
Rubri senatus pileum in aëra,
Contemptor invisi decoris
Ob viridaria mira caeli;

Aut quali, in ipso limine transitus,
Francisce, mors Te, ceu soror, erigit,
Qui carmine aeterno ac fidei
Concelebras pia sacra rerum;

Libratus alis spiritus avolet,
Huiusque fracto corpore funeris,
Indutus aeterna iuventa
Ac vigil alta per astra vivam.

Nam somnus anceps, nam famis inquies
Sulcis relinquant exuvias leves,
Dum planat Iris, dumque sentit
Libera compede cuncta duro.

Simplex et unus rorida in aethera
Per cuncta vadam sidera, fulgura,
Caelique concentu beatae
Suscipiant choreae sodalem.

Sacra ergo cordis solve repagula
Mors, docta nostrum frangere pectora,
Cautoque gressu cum prope astas,
Tunc modulor tibi « Io triumpha! ».

Quid? Ecce gemmis inclyta regiis
Crux, atque lauris obsita martyrum
Vexilla, divinis in oris
Stant mihi, fulgida nive et auro.

Huc, iuxta anhelus spiritus ac memor,
Psaltis redintegret Domino melos,
Quo, solis ex ortu ad cubile
Personat orbe perenne Paean.*

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

HISTORICAE NOTAE

Italia antiqua

Vidimus Italiam praehistoricam,¹ varias variarum gentium successivis temporibus, usque ad saec. fere VII, migrationes in Italiam, qua nulla alia Europae regio plures gentium vicissitudines passa est iam temporibus illis remotissimis; id et terra uberrima aquarumque ditissima; id caelum purum, miteque, serenumque; id pluviae imbruesque non immodicae; id peninsulae situs ipse, productus in mare uti pons mirificus quidam inter Africam et Europam, inter occidentis solis et orientis partes; huc omnes undique populos dixeris divino quodam instinctu convenisse Urbis huius aedificandae causa, quae pae omnibus Deo sacra iure meritoque est habenda, et praedicanda.

Itaque non ut in ceteris Europae regionibus, gens, stirps certa quaedam sensim sine sensu pae ceteris praevalet, et nomen, linguam, mores, religionem, instituta, iura dat eis, uti Iberi in Hispania, Hellenes in Hellade, Germani in Germania et dein in Anglia, Celtae in Gallia; in Italia non ita: immigrationes novae nunquam penitus opprimunt, delent, substituunt veteres, sed eas obsistentes, obnitentes veluti compenetrant, mutuo commutantur, novamque gentem efformant, in qua singularum reperiuntur vestigia.

Quod si ipsam linguam respexeris, potior pars est quidem Indo-europaea seu Aria, quae circa saec. X totam paene per Europam diffusa est, sed cetera elementa aperte ostendunt, nullibi Arios tantam oppositionem invenisse, quam in Italia; nullibi ex hac pristinorum defensione tantas eosdem passos esse mutationes, divisiones, « assimilationes » dixeris; ita ut circa sae-

¹ Cfr. fasc. sup.

cum IX et VIII, immo et circa V, quinque saltem praecipuae incolarum stirpes facile agnoscas, quae sunt: Veneto-Illyri iuxta litus Adriaticum; Ligures iuxta Tyrrhenum praesertim septentrionale; Etrusci, inferiori, iuxta Tyrrhenum (ideo et Tyrrheni dicti sunt); Umbro-Sabelli in fere tota parte centrali Italiae; denique Celtae, qui aut hinc illinc Ligures, Etruscos, Illyrios, Umbro-Sabellos populere, aut hic illic sese cum iis commiscuere: Umbri in montes Apenninos confugere; Sabelli inferiorius progressi sunt. Adde neolithicarum et palaeolithicarum migrationum primarium substratum; adde coloniarum Graecarum miram illam coloniam, qua et Italia inferior et insulae praesertim decorabantur.

Tiberis flumen, numinis cuiusdam ad instar, medius incedit inter Etruscos et Umbro-Sabellicos, atque in inferiore cursu iam non dividit, sed potius coniungit, necit, foecundat planitiem, quae Latinorum sedes erat, si Rutulos excipias, qui non Latini, sed veteres mediterranei manserunt; quorum caput Ardea.

* * *

Variae hae gentes stirpesque, quae circa saec. VIII et VII Italiam incolebant, veluti in tribus distributae erant, initio saltem genere, aut sanguine, aut nativitate distinctae. Igitur familiae quae ex eadem erant migratione, veluti naturali necessitudine inter se colligatae erant. Quae quum locum quemdam stationemque opportunam sibi delegissent, casas ibi aliam prope aliam exstribebant, quo mutuo sese iuvarent, sese mutuo ab aliis atque feris defenderent: haec fere natura ipsa facta sunt; haec traditio et monumenta facta fuisse docent. Hae inchoatae plurium familiarum veluti consociationes *Vici* appellati sunt; et veluti primam, naturalem dixeris, hominum civilis societatem efformant, in qua et territorium est, et auctoritas plerumque in familiarum patribus residet. Reperiuntur et ca-

sae seiunctae atque unae in agris, sed admodum rariores: *Villae* hae appellantur in traditione classica, et ibi ac tunc tantum excitari poterant, ubi et locus tutus ab incursionibus, ab immigrationibus; at facile ad vicos propiores reducuntur. Haec et Festus, et Livius et antiquitatis disciplina, et posterior traditio nos docent; re et apud Sabinos homines *vicatim* serius vixisse constat, et apud Marsos, Pelignos, Samnites; nec muniebantur vici, praesertim apud Ligures.

Deinde vero vici et villae, quae in eadem regione inveniebantur, defensionis causa consociatae sunt inter se: ita exoritur *Pagus* ut consociatio plurium vicorum; ita etiam fiunt leges pagi, scita pagi; imo est Magister pagi, qui tum praeerat pago. Quod si acrius urgeat defendendi pagi necessitas, vicus qui elatior exsurgebat, ideoque aptior ad defensionem erat, fortius communiebatur, sicque centrum et caput totius pagi efficiebatur, eique plerumque nomen tribuebat.

Eadem tutioris efficaciorisque defensionis procurandae causa, vici et pagi mox, ut par est, congregantur in *Foedera*; prium qui aut sanguinis, aut stirpis, aut saltem loci necessitudine propinquiores erant. Foedera, quorum vici aut pagi eadem civili potestate pollebant, sunt exordia, vagaque civitatis germina; nondum perfecta civitas iure constituta, neve «foederalis» quidem civitas: *isopolytia* vigebat, licet vicus aliquis aut pagus ad principatum inter alios capessendum conaretur; licet in eodem vico, praesertim in Magna Graecia, privatus aliquis ad tyrannidem tenderet.

Quorum foederum origo ad sacra praesertim refertur, eorumque vinculum firmius religio, quae originis communis, et memoriam pristinae stirpis conservat.

Eiusmodi foedera, quae periodo historica inveniuntur V et IV saeculo, facile ad vestiorem ac prehistoricam periodum re-

duncuntur; eaque iam firma fuisse inter varias Italicas gentes iam saec. VIII, aut certe quum urbs Roma condita fuit, proculdubio habendum est.

(*Ad proximum numerum*).

S. ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De quibusdam vocibus collocandis

a) Pronomen relativum in fronte propositionis relativae poni solet, cui plerumque proxime praeit antecedens.

EXEMPLA: Studium discendi *voluntate*, *quae* cogi non potest, constat (QUINT., I, 3) — Insanit *hic qui* ipse maledicit sibi (PLAUT., *Men.*, II, 2) — Caesar Labienum legatum in *Treveros* *qui* proximi fluminis Rheno sunt cum equitatu mittit (CAES., *Bel. gal.*, III, 10) — *P. Cornelius* et *M. Baebius* *qui* in consulatu nihil memorabile gesserant, in Ligures exercitum deduxerunt (TIT. LIV., XL, 37) — *Id nobis* *qui* te amamus erit gratum (CIC., *Fam.*, XV, 17) — Adestote *omnes* animis, *qui* adestis corporibus (CIC., *Syll.*, 2) — Ceres dicitur inflammaisse taedas in *ignibus* *qui* ex Aetnae vertice erumpunt (CIC., *Verr.*, VI, 106) — Audiat pravus *fata* *quae* manent culpas etiam sub Orco (HOR., *Od.*, III, 8) — O *Mercuri*, *qui* feros cultus hominum recentium voce formasti, te canam (HOR., *Od.*, I, 9) — Negat sibi *ipse* *qui* quod difficile est petit (PUB. SYR.) — Fortunam nemo ab *inconstantia* et *temeritate* seiunget, *quae* digna certe non sunt deo (CIC.) — Domi *otium* atque *diuitiae*, *quae* prima mortales putant, affluebant (GALL.) — Mors terribilis non est *iis* *quorum* laus emori non potest (CIC.) —

¹ Cfr. fasc. sup.

O fortunata *mors*, *quae* naturae debita pro patria est potissimum redditum (CIC.) — Oleribus utilissimae *aqua* sunt *quae* frigidissimae (PLIN.) — Egens *aeque* est *is* *qui* non satis habet et *is* *cui* nihil satis potest esse (CIC.) — Deus *omne quod erat* corporeum substravit animo (CIC.) — *Genus* est quoddam hominum Spartae, *quod* Ilotae vocatur (CORN. NEP.) — Ea omnino deliberanda non sunt in *quibus* est turpis ipsa deliberatio (CIC.).


b) Voces non paucae libenter coniunguntur.

EXEMPLA: *Homines* *hominibus* utiles esse debent — Facile est *iustitiam iustissimo* viro praedicare — Ipse ad meam utilitatem cum *graecis latina* coniunxi — Deus *animum corpore circumdedit* (CIC., *Univ.*, 6) — Peior *odio amoris* simulatio est (P. I.) — Caesari *omnia uno tempore agenda* erant (CAES.) — Ego plus quam feci facere non possum (CIC.) — *Cives civibus* parcere aequum est (CORN. NEP.) — Multa ignoscendo fit *potens potentior* (PUB. SYR.) — Ille ad *patrem patriae* expectato revolavit maturius (VEL. PAT.) — Senatum bene *firmum, firmorem* vestra auctoritate fecistis (CIC.) — Cuivis artifici in *arte* credendum est sua (PUB. SYR.) — Superioribus litteris *ego tibi* iucundam spem maturae discessionis afferebam — Appellata est a *viro virtus*: *viri* autem autem propria maxime est fortitudo (CIC.) — *Novus veteri* exercitus iungitur (TIT. LIV.) — Bis vincit qui se *vincit in victoria* (PUB. SYR.) — Quidquid futurum est *summum* ab *imo* nascitur (PUB. SYR.) — Prius hic *te nos* quam istic *tu nos* videbis — Caesar, intercluso omni ad Iberum itinere, quam proxime potest, hostium *castris castra* communis — *Fortes fortuna* adiuvat (TER., *Phorm.*, I, 4, 26) — *Suavis laborum* est praeteritorum memoria (CIC., *Fin.*, II, 32) — *Vita mortuorum* in memoria vivorum est posita (CIC., *Phil.*, IX, 5) — *Omnis virtuti vitium contrario*

nomine opponitur (CIC., *Fin.*, III, 12) — Omnis *ars naturae* imitatio est (SEN., *Ep.*, LXIV, 3) — Ubi coepit *pauper divitem* imitari, perit (PUB. SYR.) — Ipsa dissimulatione *famae famam auxit* (TAC.) — Ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, legatus populi *Romani Romanis* in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset (TAC.) — Cernimus ut contra vim et metum *suis* se armis quaeque bestia defendat (CIC.) — Ad *hanc te amentiam* natura peperit (CIC.).

c) «*Non*» immediate illi voci vel propositioni praeponitur, in quam cadit negatio.

EXEMPLA: Veritas *non* semper latet — Hos ego versiculos feci, tulit alter homines: sic vos *non* vobis vellera fertis, oves — Prae lacrymis iam loqui *non* possum — Ut agri *non* omnes frugiferi sunt, qui coluntur; sic animi *non omnes* culti fructum solent ferre — Vir bonus *non* potest *non* facere quod facit — Moderari animo, quum sis iratus, est *non* mediocris ingenii — Omnis aequitas perturbatur, si verbis legum ac *non* sententiis pareatur — Verba miser frustra *non* proficiantia perdo (Ov.) — Strato *non* multo post domi furum fecit (CIC.) — Exercitus Pompeii *non* necessarias conquirebat voluptates (CAES.) — Viam *non* ad gloriam magis quam ad salutem ferentem demonstro (TIT. LIV.) — Otii fructus est *non* contentio animi, sed relaxatio (CIC.) — Num vir sapiens, *non* quid verissimum sit, sed quid velit vulgus, exquireret? (CIC.) — Si metus supplicii, *non* ipsa turpitudine deterret ab facinorosa vita, nemo est iniustus, at incauti potius habendi sunt improbi (CIC.) — Animalia sumus obnoxia *non* paucioribus animi quam corporis morbis (SEN.) — Orationem *non* mutatam videtis (CIC.) — Non respuit conditionem Caesar (CAES., *Bel. gal.*, I, 42) — *Non* mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat (CAES., *Bel. gal.*, III, 20) — Sic enim existimari volebat,



id se *non* odio hominis, sed suae salutis fecisse causa (CORN. NEP., *Dion.*, IV) — *Non* quaesivit ubi ipse tuto viveret, sed unde praesidio posset esse civibus suis (CORN. NEP., *Con.*, II) — Constabat *non tam* bello motos quam longinquitate viae insuperabile Alpium transitu (TIT. LIV., XXI, 23).

d) Quibusdam vocibus «*non*» modo anteponitur, modo postponitur sensu valde diverso.

EXEMPLA: Aperte adulantem *nemo non* videt (CIC.) — *Nemo* Arpinas non Plancio studuit (CIC.) — Hostis est non apud Anionem, quod bello punico gravissimum visum est, sed in urbe, in foro *non nemo* etiam — *Nemo non* benignus est sui iudex (SEN.) — Video de istis qui se populares haberi volunt, abesse *non neminem* (CIC.) — Hannibal *non nihil* temporis tribuit litteris (CORN. NEP.) — Orator Antonius *nihil non* ad rationem dirigebat (CIC.) — *Nulli non* ad nocendum satis virium est (SEN.) — Natura *nusquam non* remedia disponit homini (PLIN.) — Athenienses Alcibiadem *nihil non* efficere posse ducebant (CORN. NEP.) — *Non nunquam* interdiu, saepius noctu pugnatum est (CAES.) — Forsitan *non nemo* dixerit: Restitisses (CIC.) — Iris *nunquam non* adversa soli est (SEN.).

e) «*Ne...quidem*» semper ita usurpatur, ut media inseratur vox, cui praecipuum inest pondus.

EXEMPLA: Amicum laedere *ne ioco quidem* licet (PUB. SYR.) — *Ne eum quidem* vidi — *Ne aurium quidem* usus supererat — Pythagoras hostiam immolare non voluit, *ne Apollini quidem* (CIC.) — *Ne Varus quidem* dubitat copias producere — Ubi terrarum esses *ne suspicabar quidem* (CIC.) — *Ne tum quidem* regi quae audierat aperit — Id *ne adolescentes quidem* effugere possunt — *Ne illi quidem* qui scelere pascuntur, possunt sine ulla particula iustitiae vivere — *Ne hodie quidem*

scire videmini quo amentiae progressi sitis (TIT. LIV.) — Qui eorum cuiquam qui una latrocinantur furatur aliquid aut eripit, is sibi *ne in latrocinio quidem* relinquit locum (CIC.) — Africanus indiget mei? Minime hercle. Ac *ne ego quidem* illius (CIC.) — Satisne videtur declarasse Dionysius nihil esse ei beatum cui semper aliqui terror impendeat? Atque ei *ne integrum quidem* erat ut ad iustitiam remigraret, civibus libertatem et iura redderet (CIC.) — *Ne efferendi quidem* signa Romanis spatium nec ad explicandam aciem locus fuit (TIT. LIV.) — Ego non modo tibi non irascor, sed *ne reprehendo quidem* factum tuum (CIC.) — Quod honestum non est, id *ne utile quidem* (CIC.) — Roscius, qui *ne in novissimis quidem* erat histrionibus, ad primos pervenit comoedos (CIC.) — Maris tranquillitas intelligitur, nulla *ne minima quidem* aura fluctus commovente (CIC., *Tusc.*, V, 6).

f) In correlativis, relativum de se praeponitur.

EXEMPLA: *Quales* in civitate proceres, talis populus — *Ut* velles me esse, ita me futurum esse persuasum habebas *quemadmodum* magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus — *Quanta vi* civitates libertatem expetunt, tanta regna reges defendunt — *Quo* mitior ver, eo pulchriores flores — *Quot* homines, tot sententiae — *Quanta* Caesaris erat ambitio, tantum erat ingenium — *Quanto* anima praestat corpori, tanto homo ceteris animantibus — Rusticus, *ubi* natus est, ibi plerumque moritur — Alexander *quoties* congressus est, toties vicit; *quot* urbes obsedit, tot expugnavit; *quantam* gloriam ceteri mortales optare solent, tantam assecutus est; *quamdiu* vixit, tamdiu Macedones invicti fuerunt — *Cuius* interest fallere, is raro fidelis est — *Cui* venia opus est, eum decet lenitas — *Quamdiu* animus remanet in nobis, tamdiu sensus et vita remanet (CIC.) — *Qui* haberi vis, is esse debes (CIC.) —

Quales sumus, tales esse videamur (CIC.)

— *Quales* intrastis, tales exite (SEN.) — *Quantum* incrementi Nilus capit, tantum spei in annum est (SEN.) — *Quo* minus Cato gloriam petebat, eo magis illa sequebatur (SALL.) — Plerique a *quo* plurimum sperant, ei potissimum inserviunt (CIC.) — *Dubitas quorum* mentes sensusque vulneras, eorum aspectum praesentiamque vitare? (CIC., *Cat.*, I, 7, 17).

I. JSS.

DE PRIMO CHARTAE FABRO

Quis primus chartam effinxerit saepe, recenti quoque tempore, est quaestio agitata: non inutilis plane neque inopportuna, tum etiam tempore quum de pace per universum orbem tutanda a populorum legatis agitur, vel quum ad beatitudinem cuique comparandam communistarum fautores blaterant. Ecquid tamen? Res dupli causa animos conciliare potest, altera quod Sinensibus populis vetustissimus chartae usus tribuatur, quorum nomen hodie passim in omnium ore est, altera quod nos proprius attingat, qui in ipsa et per ipsam «panem scientiae» mortalibus certo tempore impertimur.

Ceterum quae parvi laboris inquisitio videtur, multam contra atque diurnam operam requisivit. Papyrus et membranas praetereo, pariterque tabellas plumbeas aut cera illinitas: neque id contendeo, longe ante chartam e pannorum fragmentis fabrefactam chartam ex lino adhibitam fuisse: Briguet enim multis argumentis ostendit hanc quoque e pannis constare, atque nulla ex parte ab hoüerna, qua utimur, distingui. Quam quidem, iuxta Karabacek doctoris sententiam, a septimo usque saeculo Arabes habuerunt, et etiam tum ipsi dicebantur e Sinis secum tulisse. Certum tamen est, saeculum post unum,

quum in bello quodam Arabes ipsi Sinenses nonnullos chartae conficienda peritos captivos fecissent, Samarcanda in urbe veram officinam ad chartam fingendam constitutam esse. Chartam denique tunc e lino xylico constare non posse ex hoc arguitur, in Sinis gossypiori non ante saeculum XIII innotuisse.

At si haec de primo chartae usu apud Arabes monent qui eam Iberis primum, deinde Italiae quoque communicarunt, de eius origine nullum praebent argumentum. Disputant profecto inter sese autores, Karabacek, quem supra memoravi, Persis eam adscribente, Blanchet contra Gallo Sinensis iterum vindicante. Quinimo hic vir suis, quas edidit, disputationibus argute contendere voluit primum chartae fabrum Tsai-Loun quendam saeculo p. Chr. II fuisse, eiusque asservari adhuc scriptam rationem, qua modum conficienda rei, ex *siu*, sive ex folliculis bombycinis explicatur. Erat enim Tsai-Loun ille subtili ingenio praeditus, multaque ipse repperit, ita ut e famulo cuiusdam armorum officinae armorum faber factus sit. Is itaque, quum aliquid recognaret, quo melius forte quam tabellis lignieis, vel sericis fragmentis, philosophi atque poëtae suae gentis uterentur, arborum ex corticibus, ex canapis fibrillis atque ex fragmentis pannorum chartam primus confecit. Tunc Yuan-Hing, Sinensium princeps, eum inter optimates, e Long-Ting titulo, adlegit, atque inter suorum aedium magistros renunciavit. Sed prosperi eventus Tsai-Loun male cesserunt, qui superbus et inconditus factus, Song, nobilissimam mulierem, malis calumniis petivit. Quum vero Yuan-Hing mortuo, ipsius Song nepos imperium obtinisset, Loun statim coram se advocavit ut suas incusationes iure tueretur. Ille vero impossibilem sibi rem ratus, odorato se balneo abluit, moxque pulcherrimis vestibus induitus, venenum hausit. Sed Sinenses

haud ingratos sese viro industri ostenderunt, eique immo aediculam condidere cum eius signo, ubi quotannis sacrificia et thurificationes haberentur. In How-Nan insuper provincia diu asservatum est mortarium, quo ille primum usus est, illudque deinde, quum pretio emisset, iussit rex in museo reponi.

Ceterum multo serius Europeis charta innotuit, quumque iam Afri septemtrionem incolentes eam diutius novissent. Et plane a saeculo usque X Cairo in urbe via quae-dam ab *antiquis chartariis* nuncupabatur. In Mauritana autem anno MCXLV quum Fez urbem Almohadis Arabes occupassent, ci-ves ne Karavijn templum, signis atque picturis ditissimum, a victoribus vastaretur, artium opera omnia charta involverunt, atque deinde fictili strato cooperuerunt.

Itaque si ultimis ratiocinationibus fides habenda est, undeviginti ante nos saecula charta primum reperta est. In Europa autem officina ad Xativa est omnium antiquissima, quippe quae ab anno usque MCLVI condita fuerit, eamque saeculo sequenti officinae ad Fabricianum sequutae sunt, ex quibus nonnisi post longos annos chartae usus manavit: adeo semper humanitatis progressus lento gradu evolvuntur!

A. COSTAGGINI.

LUDI ET FESTA MENSIS MAI

Ver nunc est in medio cursu. Caelum enim ex omni parte apertum atque serenum appareat; aer purus, saluber, temperatus. Sol omnia sua luce complet; eiusque calore fit renovatio mundi. Ripae enim, prata, montes viridissimis herbis vestiuntur; arbores foliis et floribus. Aves nidos sibi construunt et per arbores et sepes dulcissime canentes mane orientem solem, vespera occidentem salutant. Nunc homines

elatiores se fieri sentiunt et ad iudicandum et ad agendum, nunc senum spes revirescunt, atque etiam aegri maiores animos recuperandae valetudinis capiunt. Ubi-que «spiritus», ut cum Vergilio loquar, «intus alit»; ubique fervet vita, ubique est motus.

Hoc anni tempore, hoc praesertim mense Maio, iam inde ab origine humani generis homines, diu hiemis frigore et squalore fracti, quum non modo omnia, quae oculos posita essent, renascere viderent, sed sese quasi reviviscere sentirent, pietatis miro quadam sensu in Deum commoti sunt, eique sacra constituerunt. Tum actis rebus divinis facile se iucunditati dabant multis adhibendis iocis et ludis, quorum numerus et pompa maiores esse coeperunt.

Inter omnes veteres gentes Graeci, qui, incredibili quadam mentis acie, ingenii celeritate et animi vi praediti, animi oblectamenta cupidissime appetebant, vere (cuius personam, uti ex anaglyphis, quae dicuntur, satis clare apparet, finixerunt), cum multa sacra, tum mense Maio Thargelia in Apollinem et Dianam, quorum alter sol, altera luna putabatur, celebrabant. Apud Romanos vero decadente mense Aprili simulque Maio ineunte Floralia habebantur. Nota fabula est. Flora nympha fuit. Ver erat: ipsa per agros errabat; eam conspexit Zephyrus, amore incensus est. Flora abiit; at Zephyrus eam fugientem inseguuntur, atque consequitus uxorem duxit et florum parentem constituit. Quae fabula hoc mihi significare videtur, terram vere ab aere temperato vel potius a sole laetificatam flores tam varios tamque iucundos gignere, stirpes generare, arbores alere atque augere. Quid autem dicam de agrorum et frugum illustratione? Ces-sabant omnia opera, requiescebantque, suspenso vomere, agricolae. Hi, solemnis indicta pompa, patrios Deos magnopere preocabantur, ut agros purgarent, depellerentque mala. Qui quidem ritus a maiori-

bus nostris traditus, mutata forma, adhuc exstat et viget in compluribus Italiae vicis. Hoc enim mense Maio agri lustrandi causa solemnis dicitur pompa, eademque per medios agros incedit. Praeunt tibicines et sacerdotes candido amictu vestiti; non nulli robusti et validi homines illius, qui protector et patronus vici colitur, simulacrum humeris impositum ferunt; sequitur pia turba preces fundens. Loco certo ad Crucem aliquam floribus ornatam pompa consistit sub ardenti sole. Tum omnes, genu flexo, manus ad caelum tollunt, oculos in simulacrum convertunt; sacerdos vero alta voce Deum precatur, ut agros frugesque quam maxime fortunet. Sacris igitur actis, pompa in vicum reddit.

Aevo, quod dicitur, medio maiores nostri mirum in modum kalendas Maias celebrabant. Florentiae enim, uti est apud Villanum, iuvenes, coetu inito, per urbis vias claustra, quae *cortes* vocabantur, tabulis septa et tenui panno cooperta exstruebant; ibique una cum puellis, nova ueste induita, choreas agebant et sertis redimiti festive epulabantur. Deinde per urbem ad certos modos saltantes iucunditati laetitiaeque se dabant. Bononiae autem *comitissae mensis Maii*, Ferrariae vero et Mutinæ *reginae*, creabantur; quae, in summo sugesto sedentes, multa accipiebant dona et magno honore erant.

At mensis Maius amatoribus quam maxime gratus redibat. Mos enim erat, ut ad suam quisque puellam ramum foliis onustum, vel potius viridem arbusculam ferret eamdemque ante ianuam configeret. Quod muneris genus vulgo *maium* nuncupabant. Praeterea iuvenis in puellam incondita quidem carmina cantabat, sed sensus plena et veritatis. Ex iis originem duxit lyricum illud carmen, quod vulgo *maggiolata* appellant, et cui duo praestantissimi viri, Laurentius Magnificus et Angelus Politianus, culmen perfectionis addiderunt. Neque genus hoc omne interiit; viget enim

adhuc non apud homines litteratos, sed apud populum nostrum, in quo mirus quidam poëticae facultatis sensus inest.

Hac vero nostra aetate nonnulli homines, rerum novarum cupidi, alia festa statuere student. Nos quidem haud fallit quantum temporis inter Laurentium Magnificum, qui et carmina kalendis Maiis componebat et ludorum auctor erat, et hos recentiores praeterierit; neque haec Lucretii verba ignoramus (*De rer. nat.*, II, 67):

*Augescunt aliae gentes, aliae minuuntur,
Inque brevi spatio mutantur saecla animantum.*

Quare temporibus et moribus mutatis, prorsus necesse erat, ut festa et ludi simul mutarentur.

Quod si nova festa hoc mense Maio, omnium pulcherrimo, constituenda sunt, ea potius celebrentur, quae benevolentia devinciant et caritate homines.

D. T.

QUATENUS ANIMALIUM VITA

Naturalium rerum scrutator acutus haec de diurnitate vitae in quibusdam animalibus edidit partim sapientum ex libris, partim propria inquisitione detecta.

Praeteritis muscis ac papilionibus, quorum vix mense, aut mensibus vita prorsus absolvitur, lepores et sciuri intra octavum annum debentur morti, si odoram canum vim, si vulpium, si luporum, si aquilarum et milviorum et serpentum insidias, impetum, rostra, dentes effugerint; cuniculi intra decimum annum.

Gallina villatica, pharaonica, pullus indicus aegre duodecimum vitae annum explet; nam ante hanc aetatem occumbunt confecta senio.

Vulpeculis raro datur annus decimus-quartus, fortasse nunquam. Capra et ovis decimumquintum annum vix attingunt; su-

perasse non constat. Credo equidem: nam senectute steriles pastor lanio vendit ad mortem, ne in stabulo moriantur: idem de fele domestico ponendum. Anno aetatis vicesimo porcus et lupus intereunt, neque datur excedere, quos tamen ursus interdum excedit anno. Carduelis et passer, cumque his canis, quintum et vigesimum annum haud facile vident, qui vitae terminus rhinoceroti constitutus iudicatur. Delphinus et xiphias, itemque anser, vitam anno trigesimo, vix ultra, concludunt. Bovi, equo et asino intra trigesimum et quintum annum mori necesse est.

Leoni, belluarum regi, septuaginta vitae sunt anni.

Post hunc, aëris regina aviumque, aquila, praedicatur longaeva; nam in imperatoria urbe Vienna obiisse memini, quae tertiam supra saeculum hiemem aspicerat. Pellenanus et psittacus saecularem aetatem obiter superant, quamvis decennio vivacior psittacus habeatur.

Cyprinus piscis proculdubio trigesimum quintum ac tercentesimum annum praetergreditur; nam in piscinis regiis, quae sunt ad Lutetiam Parisiorum in oppido quod dicitur Fons Bellaqueus, anno 1895 cyprini plerique inventi sunt, a Francisco I Gallicarum rege ibi demersi, annulo ad extremas caudae pinnas iam inde (anno 1517) notati.

Elephas inter terrestria animalia super cetera longaevus habendus est, et quartum vitae saeculum praetergrediens: nam ex historia novimus Alexandrum, Philippi regis Macedoniae filium, consecrasse monumento huiusmodi belluam, quae Poro regi inserviens pro domino suo strenue pugnaverat, Aiacem hanc voluisse appellatam, libertate donasse, addito stigmate, ne quis audaces manus telo, aut rapacesvinciendo imponeret. Quinquaginta ac tercentis post haec annis elephas Ajax repertus, et cognitus est.

De corvis ac de serpentibus non certa

aetas. Sunt qui serpentes credant tria impune praeterire saecula, sunt qui septem, sunt qui vel ultra, quum reperti sint serpentes inclusi tophis, ubi necesse est eos vixisse a conflagratione alicuius Vesuvii, itemque reperti sint in carceribus Domitiaene villae, quum ante annum 1860 iuxta montem Pincium altius effoderetur ad aedificandos muros et substruendos, quibus supra Pincii area et aequaretur, et contineretur. Horribilis visu anguis, mole immanis, barritu, potius quam sibilo, emissi fossores deterruit, fugavit, accipiens vulnus, quo mortuus est; nam ferrea sudes, qua duobus hominibus admittentibus subiectus fornix terebrabatur, deficiente muro, in vacuum repente lapsa est, et in ora inclusi monstri subtus hiantis impetu catapultae percussit, soloque per guttur et percutus ventremque adacta fulminans affixit. Nullus erat aditus, nullus exitus cavernae; quoniam illic a saeculo draco?

De corvorum aetate memoriae redditum volo, inventos fuisse apud solitudines et secessus, in quibus anachoretae Caesarei temporis versabantur, corvos, qui bracatos, aut quovis colore peregrinos induitos vitabant respicientes a longe; si quis autem accessisset pulla toga, promissa barba, monachalem vestem praeferens, neque fugiebant, neque vitabant, sed crociantes, portrecti alis et ovantes gutture accedebant, desuper impedientes orbem, acclamantes, circumveientes, propiores capiti circumvolantes; donec certiores facti lugubre quid canentes abibant, et saepe tamen redibant visuri, et scrutaturi, quoadusque defatigati supremum discederent. Quorsum haec? Anachoretam ultimum, socium, quocum assueverant, tot iam saeculis functum vita, respicere credebant. Quaenam ergo aetas?

Ceti denique, immensae illae moles, queis pars domus Oceanus uterque, intra millesimum et ulterius annum vivere creduntur.

ALPHA.

AD SANITATEM TUENDAM

Florum microbi

Notum est iam omnibus satisque vulgatum, quod maiores nec suspiciati quidem fuerant, plantarum herbarumque vel simplicem tactum labefactandae valetudinis periculo minime carere: uno namque fungorum contagio actinomycosis geminusque bactriomycosis morbus paritur, et canceri causam ex plantarum usu esse inquirendam non pauci neque indocti opinantur.

Qui vero metus nemini in mentem venerat, a Dominico Freire viro clarissimo, qui de flava febre in Brasilia multa felicititer investigavit, inductus est, hoc, post assidas inquisitiones et callida experientia, proposito dubio, utrum a floribus olfaciendis omnino nobis abstinentem sit, ut vitae incolumitatem tueamur. Cavete enim: muscae et papillones quae cespites circumvolitant, sedulae apes quae dulcia mella ex calicibus hauriunt, ipsique lenes zephyri qui roridas corollas, puellarumque genas blandiuntur, mortifera germina in aliis vehunt, circumflant, disseminant.

Et plane, experimenta cl. investigatoris quaevis dubia dissiparunt. Posuit prope civitatem Sancti Sebastiani ad Ianuarium flumen hortulum, qui ab urbe octo millia passuum distaret, super mare vero abunde emineret: tunc ille ex hortulo flores collectit, atque aptis forficibus, quas primum flamma adustas purgaverat, anteras recidit Tunc anteras in vitreas immitebat fistulas, esculentis iam lymphis, quolibet malo germine puris, repletas: illaeque paulatim, quae viscidis humoribus, quibus illiniuntur, ad venenosa semina retinenda aptiores sunt, colonias microbicas, crystallinis lentibus facile visibles, plurimas genuerunt alueruntque.

Ex anteris, quas *Hibiscus rosa sinensis* dederat, *Micrococci cruciformes*, microbi

hactenus ignoti, geniti sunt, qui idcirco utrum nocentes sint, nemini adhuc innuit. Ex *Rosa gallica* binae coloniae sunt partae, quarum una *Streptococcum pyogenem* aliquantulum imitatur, alteri vero ignoto bacillo *gallici* est nomen inditum. In flore quodam ex conyolvorum familia, quem *Ipomaeam Guamoclit* vocant, *Micrococcus salivarius pyogenes* et *Spirillarum* nova species, quae *Spirilla tenuis et serpens* est dicta, germinarunt: denique in flore mali persici *bacillus piocianus* insidebat, qui caeruleo colore fucatus facilime innuit.

Experimentis, itaque, quae nova in dies docent, ignotum hoc est in tuto positum, florum corollas, et praecipue eorum statim anteras lethales microbos viscido humore retinere, qui postquam forte in hominem transierint, adolescent paullatim, et ad vitae plenitudinem, non sine magno eius detimento, pervenient. Nec satis: primum enim florum colore, et microborum pigmento inter sese comparatis, naturalis relatio inter utrumque intercedit, quum, e. g., flavus color quo *Micrococci cruciformes* fucantur, florum *Hibisci rosae sinensis* colori simillimus sit: at eadem rurus similitudo etiam in odoribus reperta est, ita ut ex microbis idem odor diffuat, qui ex floribus in quibus vivunt.

Quapropter nullimode absonum fuit putare, et colores et florum odores microborum causa gigni, qui veluti germina metamorphoseon passim habentur. Haud tam novis hisce adnotatis florum pericula nimis inflanda putamus, qui profecto nil aliud faciunt quam quod zephyri ad se adducunt, suis facile corollis accipiunt et glutinosa lympha retinent: sed microbos ubique adesse et vel stomacho inhaerere, ut digestionem faciliorem reddant, ecquis ignorat?

Sunt itaque boni simul et mali microbi, quos si ex floribus vitare cupimus, illos procul aliquantulum olfacere sat erit, ne-

que anteras venenatas avido nimis naso tangere; hisque cautelis pulcherrimo naturæ dono frui non prohibebimur.

R. S.

ANNALES

Concordia inter Angliam et Italianam restituta.

Quae colloquia inter Angliam et Italianam inita nunciavimus ad pacificum rerum statum antiquamque amicitiam inter duas nationes restituenda, ea felicem, quem in votis erat, exitum habuere, singulis pactis die XVI mens. Aprilis conventis tum de Mediterraneo mari, tum de mutuis circa utriusque nationis copias percontationibus, itemque de Orientis negotiis, de regulis in Suez euripo servandis, denique de finibus in Orientali Africa utrinque statuendis. Sequuta est pactio inter Italianam, Angliam et Aegyptum de communibus rebus compendis, et credendum est similia et Galliam perfecturam. Certe die XXVIII eiusdem mensis Londinum apud Anglicos rei publicae moderatores convenere Daladier, Gallici administratorum collegii novus praeses, qui Blum successit, cuius praefectura vix viginti et sex dies perstitit, et Bonnet, exteris Gallorum negotiis praepositus, ad varias politicas Europæ quaestiones simul pertractandas, rationes perpendendas quibus cum Italia consentire possibile et Galiae fieret; denique, ut regulæ præfinirentur mutuae operis militaris.

Concordiae inter Italianam et Angliam partae testis est Anglicæ rogatio apud Nationum Societatem de Italico Africæ orientalis imperio sanciendo.

Pactio inter Angliam et Hiberniam instituta.

Die XXV mens. Aprilis Londini pactio subscripta est inter Angliam et Hiberniam, cuius vi Anglia copias retraxit, quae iam

ab anno MCMXXI quatuor navales, quae vulgo dicuntur, Hiberniae bases praesidio suo firmabat.

Teutonum populi scitum

Die X eiusdem mensis Aprilis in Germania simul et in Austria populi scitum habitum est ad definiendum utrum Teutones utriusque civitatis civitatem unam constituere deberent; quod quidem omnium paene suffragio ratum est.

Paucis diebus post, Karlsbad, Teutonica in Cecoslovachiae urbe, quum annuus conventus Teutonum Sudetorum haberetur, Conrado Henlein praeside, oratores plures propensionem suam et de ipsorum adnexione cum ceteris Teutonicis gentibus, iuraque propria libertatis repetendae confirmarunt.

Quid inde?

Hispanicum bellum civile

« Nationalistæ » per Catalauniam procedentes, ut hanc provinciam a Gallia omnino segregarent, hunc finem assequuti sunt; simul ad Vinaroz usque et Benicarlò in Mediterranei maris oris pervenere, territorium adhuc in Communistarum manibus dissecantes; deinde hostium munitio-nes in Alfambra regione praeter Teruel urbem omnino succusserunt.

In Sinis

Iaponii plures copias in Shantung meridionalem transtulerunt ad Suchow urbem tendentes, quae, quum nodus sit ferriviae Pekinum inter et Nanchinum, si in eorum manibus ceciderit, imperium utriusque regionis ipsis dabit.

POPLICOLA.

- Est vita misero longa, felici brevis.
- Et calamitas virtutis est occasio.
- Etiam capillus unus habet umbram suam.
- Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

P. SYRUS.

VARIA

Qui vult mutare formam Reipublicae rationem habere debet ipsius subiecti¹

Malum civem contendimus in Republica bene instituta non posse efficere ut consilia sua prava eventum consequantur, quamdiu civium mores integri sint. Id vero ita se habere demonstrare quis possit, vel ex Spurii Cassii, et Manlii Capitolini exemplis. Nam quum Spurius ambitiosus esset, et singularem quamdam in Republica auctoritatem sibi comparare conaretur, ob eamque causam plebem beneficiis sibi undequaque conciliaret, agrosque illi distribueret, qui ex Hernicis capti essent, non tulere eam ambitionem patres, sed populo suspectam reddiderunt, usque adeo, ut quum illi Cassius pretium offerret dividenti frumenti, quod ex Sicilia allatum erat, noluit id populus accipere, ne libertatem suam vendere eo pretio videretur. Quod si corruptis moribus fuisse Populus Romanus, nequaquam repudiasset pecuniam illam, sed, ea accepta, aditum Cassio ad occupandam tyrannidem patefecisset.

Longe vero magis memorabile est etiam exemplum Manlii Capitolini, cuius insigne virtutem pro patria bello Gallico declaratam, et tot merita, unica ambitio ac dominandi cupiditas obscuravit delevitque.

Invidebat is Furio Camillo eum honorem, quem civitas illi deferebat; itaque eo insaniae rediit, ut nulla habita ratione ci-vium, qui adhuc integris moribus essent, ineptique ut corrumphi possent, tumultus contra Senatum et leges patrias excitare coepit. Quo loco cernere licet, quam bene instituta Respublica foret, et quam præstans materia esset ex qua constaret; ipsi scilicet mores. Nam etsi patres coniunctis-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

simi semper fuerint, seque adversus plebem semper mutuo defendere solerent, in eius tamen motibus nullus exstitit, qui vel favere illius institutis, vel pugnare pro illo voluerit; et quum alios reos multi in forum nobiles lugubri ueste comitari soliti essent, ut ad misericordiam iudicem moverent, et benevolentiam iis conciliarent, Manlium nemo comitatus est. Tribuni plebis vero, eti si ceteris in rebus nobilitati adversarentur, et pro populo adversus eam pugnarent, in eo motu tamen quum periculum publicum animadverterent, cum patribus sese coniunxerunt, ut communem perni-ciem a Republica amoverent. Populus Romanus, quum alias suis commodis avidissime operam daret, et tum Manlio, tum etiam omnibus reliquis faveret, qui nobilitatem oppugnarent, tamen quum a Tribunis plebis Manlio dies dicta fuisse, iamque iudicandum sibi esset, de eo negotio, nullo animi motu perturbatus, fortissime sententiam dixit, et Manlium morti adjudicavit. Quae omnia, si quis diligentius contempletur, talia sunt, ut facile inde cognoscere liceat, summa tunc fuisse omnium civium commoderationem aequitatemque, ut qui patriæ atque iustitiae amore longe magis permoverentur, quam omnibus Manlii beneficiis, sive essent erga singulos ipsos declarata, sive etiam publice exhibita patriæ; quae certe tanta fuerunt, ut de iis Livius in hunc modum pronuntiet: « Hunc exitum habuit vir, nisi libera civitate natus esset, memorabilis ».

Duo igitur sunt, quae hinc discere debemus ac possumus: Gloriam atque laudem alii modiis ac rationibus comparandam esse in libera civitate, in qua hominum mores integri ac bonis legibus instituti sunt, quam in illa, in qua haec omnia corrupta existunt.

Alterum est, ut excellentes viri in actionibus institutisque suis temporum habeant rationem, ut sese tempori accommodent. Nam id qui facere nequeunt, iis nequaquam

res ex instituto succedunt, nec proinde in actionibus suis felices esse possunt. Nam si historiam rerum antiquarum intueamur, facile colligemus, si Manlius in tempore Syllae incidisset, aut Marii, potuisse idem illum praestare, quod ipsi praestitere. Et si rursus hi in Manlii tempora incidissent, primo motu interire illos oportuisset, quod populus Romanus nondum ad illam morum corruptelam tunc pervenisset, ut vel Manlius, vel alius quisquam ambitionis suae formam, in talem materiam imprimere potuerit. Sufficit quidem unius viri aetas ad corrumpendam aliquantum populi multitudinem; sed non eo usque, ut suae ambitioni plane oboediatur; et si maxime quis id effici posse contendat, tamen rursus obstant nimiae cupiditates ambitiosorum civium, qui non exspectare possunt occasionem temporis ut ad propositum scopum pervenire queant; sed antequam materia sit praeparata, ambitionis suae formam introducere frustra conantur, atque ita opprimuntur. Nam qui tam ambitiosi sunt, nec moram ferre, neque exspectare possunt temporis occasionem: cupiditatibus suis in praeceps aguntur. Non possunt autem ambitiosi homines magnam sibi comparare auctoritatem potentiamque, nisi hominum mores prius sensim corrupti fuerint, ut donis ambitiosorum hominum permoveriqueant et pertrahi in illorum sententiam.

Sorex

Inter mures sunt qui Sorices appellantur, exiliores quidem et acriores reliquis, atque putantur soli stridere clarius, quem alicrum voces non exaudiantur. Horum unum quodam in coetu murium gloriatum de cantu et vocali sono ferunt, cui vetulus alias: — Heus tu, — dixerit — quid gloriaris, stulte, quidve istum exitiosum tibi stridorem iactitas? An non audis de hoc etiam proverbium natum inter homines: «Soricem ipsum suo perire indicio»? Ne tu igitur, quod neque generi honestum est,

et saluti contrarium tuae, quasi pulcrum et magni faciendum ostentes.

Ridebat senem Sorculus ille, atque quam ante magis contentiusque stridebat. Itaque homines hoc signo mures in illo loco versari quum deprehendissent, operam dedere, ut eos insidiis circumventos caperent. Captusque in primis Sorex: stridetur quoque in dolore et perturbatione animi. Ibi vetulum illum suis parvis musculis quum paecepta daret moderationis et prudentiae, hoc quoque dixisse acceptimus, detestabilem esse eam vocem quae eadem et in laetitia ac felicitate, et tristitia atque miseria emitteretur.

Fabula narrari potest adversus petulan tes ineptias ostentationis, docetque vanitatis ac levitatis exultationem, etiam misericordia destitui.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Ius regium.

Pastilli ex furfura, recenti caseo et perna farta.

Pulli ad vinum album in trulla decocti.

Asparagus Parmensium more butyro subustus.

Mala aurea gelido cremo perfusa.

Aenigmata

I

En! venerandus sum, nulli violabilis ordo.

Principium muta: mors properata subit.

II

Quamvis materiem mea vox designat inertem,
Frons mihi mutatur? Squamea turba, cave!

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Victor-Pictor*; 2) *Stiria*.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[26]

ACTIO DRAMATICA HENRICI IOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Nam vires praeparantur ad horam pugnae brevem
Multis annis labentibus, ne quom lubido fecerit
Effrenata impetum, in prima tecum pugna cedas loco.
PU. Heu consul, si meum posses animum introspicere,
In quo sunt aestus multi ac motuum agitatio,
Tum me tractares mitius. Num tu, consul, putas
Mei me patris non videre magnitudinem?
Pro di immortales, quod istanc ego perspicio,
Augetur mi dolor. Iam saepe matris fletu concitus
Saeve sum in civis inventus, verumtamen
Semper illo momento temporis, quom per meam
Iam desperationem in flamas do animos civium,
Venit mihi in mentem genitoris exsecratio;
Horrore strictus obmutesco et asto dubius
Et ab istac re abhorreo, ne illum prohibeam
Ab laudis aditu, ubi homines fiunt similes diis.
Itaque rebus infectis redeo. — ME. Habe sis bonum animum.
Ignis enim in tuo civilis flagrat pectore.
PU. Postquam revortor ad penatis, quom intro in vestibulum,
Ferior quasi vento sepulcri olentis putrido;
Ibi silentus atque desolatus est locus.
Consisto, ausculo, rursus adendo auris; omnia
Silenta ac deserta esse videntur. Vae mihi, iam mortuast,
Sic cogito. Quom haec meditor, venit illa languidis
Gradibus et passis crinibus et aperto pectore a foco;
Gnati gementes illam amplectuntur; ocellos abditos
In me iacit et sic me saevis lamentis rogat:
«Quidnam vis hic, tribune? Facesse sis hinc in forum;
Matrem modo hic tuam mori vides». Quom postea
Avorto oculos lacrums gravis, tum mente funditus
Privata sic exclamat: «Patris, matris interfector es!».
A Furiis actus abeo et vis me vitalis deserit.
Dic me, consul, pusillum sis; equidem istuc sentio,
Sed bracchii tamen fortunae magnis opprimor.
Edepol ego mortalium sum maxume miser.
ME. Recte miserum te dicis. Fortunam tuam gravem
Ego quoque sentio. Nam hic in manu habeo litteras patris tui,
Quibus conscriptis commendat gnatos suos mihi.